

Scis quantum me quaesivit Florus ut thurificarem, & non me tradidit Deus in manus ejus, frater: sed quia Deus mihi dimisit. Ergo & tu serua me Deo. Secundus dixit: Quid ergo facturi sumus de martyribus? quia non tradiderunt, ideo & coronati sunt. Donatus dixit: Mitte me ad Deum ibi reddam rationem. Secundus dixit: Accede una parte. Secundus Marino ab Aquis Tribilitanis dixit: Dicitur & te tradidisse. Marinus respondit: Dedi Pollo chartulas, nam codices mei servati sunt. Secundus dixit: Transi una parte. Secundus Donato Calanenſi dixit: Dicitur te tradidisse. Secundus respondit: Dedi codices medicinales. Secundus dixit, Transi una parte: & alio loco. Secundus Victori a Rufficade dixit: Dicitur te tradidisse quatuor Evangelia. Victor respondit: Valentinianus curator fuit, ipse me cogit ut mitterem illa in ignem, sciebam illa delectitia fuisse. Hoc dicitur indulgere mihi, & indulget mihi Deus. Secundus dixit, Transi ex una parte: & alio loco. Secundus Purpurio de Limata dixit: Dicitur te necasse filios fororis tuae, duos Milei. Purpurius respondit: Putas me terrefi a te sicut alteri, tu quid egisti, quo tentus es a curatore & ordine ut scripturas daretis: quomodo te liberaſti ab ipsis, nisi quia dedisti aut iuſſiſti dare quodcumque; nam non te dimittebant passim. Nam ego occidi, & occido eos qui contra me faciunt: ideo noli me provocare ut plus dicam, scis me de nemine tractare. Secundus minor patrio suo Secundo dixit: Audis quae dicat in te, paratus est recedere, & schisma facere, non tantum ipse, sed & omnes quos arguit: quos scio quia dimittere te habent, & dare in te sententiam, & remanebit solus haereticus. Ideo quid ad te pertinet? quid quis egit, Deo habet reddere rationem. Secundus Felici a Rotaria Centurioni & Victori a Garbe dixit: Quid vobis videtur? Responderunt: Habent Deum cui reddant rationem. Secundus dixit: Vos scitis & Deus, sedete, & responderunt omnes, Deo gratias. Hos tu traditores (pergit Augustinus) qui cum aliis apud Carthaginem in Caecilianum & socios ejus dixerunt sententias, inter quos & Sylvanus Cirtensis fuit, de cuius traditione gesta mox inseram, praclara videlicet ratione defendis, &c.

3. Praesules non prius Circa discessere, quam id pergerint propter quod eo convenerant. Creaverunt quippe & ordinarunt Paulum Circa Antistitem, qui eodem ipso anno a Magistratibus interpellatur, una cum Diacono Sylvano Codices sacros, cimelia & suppellectilem Ecclesiasticam tradidit. Sed eodem Paulo paucis post annis vita functo in ejus subrogatus est locum Sylvanus ejusdem sacrilegae traditionis socius & reus, ut ex Provincialibus actis demonstrat Augustinus, lib. 3. contra Cresconium cap. 27. & 28. & epist. 165. ad Gerosolum.

DUO QUaedam CARTHAGINENSIA

Donatistarum Conciliabula annorum
306. & 308.

1. Primum horum Marcelli Pontificatus tempore anno Christi 306. Carthagine celebratum est ab Episcopis Donatistis circiter septuaginta, adversus Caecilianum Carthaginis Episcopum, qui Mensurio legitime suffragis ad illius Ecclesiae regimen successus fuerat. At Schismaticorum Donatistarum factio, ut ibi soli Ecclesiam illam totius Africae primariam assereret, Caecilianum calumniose accusabat traditionis divinatorum Librorum, & prohibitionis ne victus fidelibus carcere detentis, furentem Diocletiani persecutione, erogaretur. Causabantur insuper Donatistae invalide fuisse consecratum Episcopum a Felice Aptungitano Antistite, quem incubabant sacros Codices gentilibus tradidisse. Iniquam factionem perurgebat Lucilla mulier Hispana, opibus

praeptens, Caeciliano insensa & vindictae appetens, justaque reprehensionis sibi olim ab illo factae impatiens, memor se ab eo reprehensam, dum esset Carthaginensis Ecclesiae Diaconus, hac de causa; quia mortui cujusdam os, quem Martyrem credebant, non solum super se deferre consueverat, sed etiam palam in Ecclesia osculari, quo momento erat sacram Eucharistiam acceptura; etiam non fuisset ab Ecclesia in Sanctorum album adscriptus. His accedebat illorum insensibilium odium, a quibus receptam depositamque a Mensurio Carthaginensi Episcopo sacram suppellectilem, ne in ethnicorum manus deveniret, Caecilianus reprobabat, illi vero sacrilege sibi usurpabat. Illud ergo malignantium Concilium Caecilianum pronunciat sacrorum Librorum traditorem, communionis fidelium exortem, Episcopalis sedis invasorem, illoque deturbato, Majorinum illius factiose Lucilla domesticum in Carthaginensem sedem obrudit, ordinatum a Donato factionis sacrilegae Principe, ditroque a Calis nigris, Episcopo, a quo primum denominati Donatistae. Quamquam ut sunt instabilia sectariorum ingenia, & in novitates proclivia, postquam alter quidam Donatus invasor factus est Carthaginensis Ecclesiae, ab isto recentiore dicitur maluerunt Donatistae, Hoc in conciliabulo famosus ille nepotum suorum interemptor superius in Cirtensi conciliabulo memoratus, suam his verbis adversus Caecilianum sententiam expressit: *Exeat huc quasi imponatur manus illi in Episcopatu, & quassetur illi caput de penitentia*: ut prodit Milevitanus Optatus lib. 1.

2. Secundum a Donatistis initum Carthaginense Concilium, temporibus quoque Pontificatus Marcelli Romanam regentis Ecclesiam, congregatum fertur anno Christi 308. in quo post acres dierum septuaginta quinque disputationes, pertinax Donatistarum furor dilucidum admisit intervallum, ducentis enim & septuaginta ipsorum Episcopis placuit, ut qui fuerant eorum factionis traditores etiam novi baptismi susceptione reconciliari recusarent, ad communionem reciperentur. Atque ita hujus vigore decreti, ut testatur Augustinus epist. 58. ad Vincentium, Donatus una cum omnibus suae factionis sectariis Dexterio Macrinensis Ecclesiae pseudoepiscopo, universisque per Mauritaniam ejusdem schismatici Episcopis, deinceps usque ad Macarianam persecutionem, per annos quadraginta communicarunt. Cum vero illa per Macarium suscitata persecutio assignetur a Baronio, Emanuele Schelestrate, aliisque doctissimis viris, anno Christi 348. si ex numero isto demas annos quadraginta, consequens fit ut referendum sit istud Conciliabulum ad annum Christi 308. quo sanctus Papa Marcellus, qui paulo post in persecutione Maxentii martyr Christi occubuit, Ecclesiae Romanae clavum regebat. Isto quidem decreto numerus Donatistarum multum accrevit; Secundus enim Tigistanus Episcopus, (de quo jam a nobis in Cirtensi Conciliabulo facta est mentio) Numidarum Primas, cum esset ipse de numero eorum qui sacra volumina ethnicis Magistratibus tradiderant comburenda, omnesque illius affecta, tum Numide, tum Mauri, tum ceterarum plagarum Africae, quos ex actibus Praeconsularibus constabat fuisse damnabilis traditionis reos, Donatistarum partes augebant & promovebant. Sed inde tamen facta est eorum causa longe deterior; sibi enim adimebant discessionis a Caeciliano praetextum, in falso traditionis, quod illi ejusque ordinatori Felici Aptungitano Episcopo impingebant, crimine fundatum; solaque remanebat evidens omnique major exceptione schismatici quod invexerat causa, odium implacabile Caecilianum, & pertinax ambitio. Proinde illos tandem hujusce decreti admodum puduit, quod speraverant pacem inter sese mutuam stabilire, dissidiaque quibus invicem dissidebant acriterque disceptabant, componere; immunitatisque animorum sententias, quatenus fieri poterat suppresserunt, ut procius gloriosi possent se solos mundos, alios autem immundos & contaminatos esse, atque hanc discessionis suae causam praetextere.

ECCLESIAE QUARTI SAECULI HISTORICA SYNOPSIS.



1. **A**rditio Diocletiani & Maximiani non nihil persecutionem imminuit, eam tamen non extinxit quoad superstitere Galerius Armentarius, & Romae Maxentius Maximiani Herculi filius, in Oriente vero Maximianus & Licinius. Moderatissimus Princeps Constantius amoris affectu erga Christianos propensus, Gallis & Britannis contentis Italia, Hispaniaque, & Africa sponte cessit Maximiano Galerio Armentario. Hic vero aucta ditione sua geminos creavit Caesares, Severum Occiduis provinciis & Maximinum fororis filium Orientalibus regionibus praefecit. Constantius Chlorus non ultra biennium Augusti dignitate positus est. Ad eum extrema agitudine Eboraci in magna Britannia decumbentem, filius Constantinus, quem ex Helena susceperat, dilapsus e custodia qua eum Galerius detinebat, publicis etiam quacumque proficisceretur necatis iumentis, ut persequendum celeritatem evaderet, sauto successu confugit; in cuius complexu latitavit pater paulo post animam emisit anno Christi trecentesimo sexto.

2. Quamvis Italia cessione Constantii ditioni Galerii accessisset, hanc tamen praetorianorum militum, & amicorum factione usurpavit Maxentius, Maximiano Herculo natus. Adversus quem Galerius Severum Caesarem cum exercitu misit: qui tamen destitutus a suis, Ravennam fugere compellus est. Galerius ipse Romam contendit novo succinctus exercitu, sed a militibus quoque desertus in Illiricum se recepit, ibique Licinium Caesarem creavit. Interea Hercules Imperium quo se invitus abdicaverat resumere affectavit, & scriptis litteris Diocletianum ut idem faceret, adhortatus est; sed ejus ambitionem & inconstantiam spectavit Diocletianus, respondens se quietem & voluptatam, qua in conferendis & colendis Salonae hortis fruebatur, longe Imperii Romani gloria antefere, ideoque in proposito se persistere, privata quieteque quam elegerat vite. Hercules primum, quasi honorarius pacis inter filium Maxentium & Severum conciliandae arbiter, data huic iurisdictione fide Ravenna eundem eduxit, eductumque perfidiose Maxentianis tradidit occidentum: ac deinde illos ut se duce militent adversus Maxentium sollicitat. Sed perfidus senex ab illis despectus, furque vite metuens ad Constantium in Galliam recurrit, eique Faustam filiam nuptam dat cum Imperii dotali titulo. His demum celebratis nuptiis, mentem suam de Constantino genero disperdendo, filiae suae aperit. Illa patris perfidiam exhorrens, virum scelerum admonet, ut sibi ab insidiis foci caveat. Hercules rem suspicatus, aut etiam a filia quoque admonitus, ut si salvis esse velit, fuga se quamprimum propriat, clam aufugit; sed missi a Constantino celeres percussores, illum Massilia interceptum interfecere: quo exemplo confirmatum illud esse; perfida consilia esse tandem auctoribus exitalia.

3. Ipse Constantinus dum in Gallis expeditionem contra Maxentium parat, divino Crucis in caelo rutilantis ostento, & victoriam sub tali auspicio pollicentis admonitus, verbis etiam Rhetici Heduenſis Episcopi confirmatus, & institutus, Christianam amplectitur religionem, & progrediens, arces, & praedia in Alpibus sibi objecta expugnat, tres Maxentii exercitus collatis signis fundit. Quarta demum acie, ad ipsos Romae muros, quamquam copiis ac militum numero inferior, casus Maxentianus vertit in fugam, in qua Maxentius ipse, dum Tiberim trajicit, ligneo ponte sub equitum multitudine fatiscente, anni demerſus perit.

4. Galerius sub iisdem temporibus in Urbe Sardica Illirici & Daciae Metropoli, correptus immani morbo, inter acerrimos ignis interni cruciatus, vermium corrosiones, & dira viscerum tormina, sceleratissimam animam expiravit, multis occisis medicis, qui factorem intolerabilem ex ejus corpore exhalantem ferre non poterant. Duo adhuc tyranni supererant Licinius & Maximinus. Iste postquam innumeros Christianos atrociter exercuciatus neci dedit, stolido tandem consilio Licinium bello adoritur, nihil tale opinantem, ejusque in fines hostiliter irrumpit: sed commisso praelio victus a Licinio, fugatusque fuit. Et subinde Tarsi in Cilicia dirissimo conflictatus morbo, ultricem Dei manum agnovit, & quod moribundus fecerat Galerius, edicta quoque pro Christianorum libertate promulgavit, qualia etiam Galerius morti proximus ediderat. Licinius victor liberos Maximini omnes trucidat, ne quis ex impia

& odiosa progenie superesset, devictique provincias omnes invadat.

5. Sic igitur factum est, ut universae Romanorum Imperii provinciae duobus Principibus parentent, Oriens Licinio idolorum cultori, & Occidens Constantino Christiano: quos inter ambos foederat junguntur. Licinius a Constantino invitatus Mediolanum accedit, eaque in urbe nuptiae Licinii & Constantiae Constantini fororis ingenti letitia & apparatu celebrantur. Ad has ambo Imperatores Diocletianum invitarent, at ille excusationem praetexit senectutis. Hac evenit anno 313. Biennio post in Dalmatia in hortis Salonianis moritur Diocletianus: viro tyrannorum Ecclesiae hostium terribitimo exitu, Christianorum autem, quos omni crudelitatum genere conatus fuerat exterminare, triumpho, pace & libertate, quam Licinius proprio edicto stabiliverat.

6. Nec tamen pax illa diuturna fuit. Enimvero post biennium ab illo amborum Principum foedere, Licinius intermissam Christianorum vexationem instauravit: qua de causa Constantinus in illum arma movet. Primum armorum concursus fuit ad Cibalinam Pannoniae oppidum: deinde in campo Mardienſi, quibus duobus praeliis caesi fugatique sunt Liciniani. Tertius conflictus ad Hadrianopolim in Thracia, quartus prope Byzantium factus, quintus denique ad Chalcedonem. His praellis tera marique victor exiit Constantinus, in cuius manus ipse Licinius cecidit. Sed Constantia inrer fratrem & conjugem pacem conciliavit, qua Licinius suis omnibus provinciis spoliatus, Thessaloniam cum annuo decenti stipendio fuit relegatus. Sed Licinius foedifragus & irrequietus, rebus novis etiam tunc studens mortem sibi accessit, iustaque Constantini extinctus fuit anno Christi 325.

7. Bellorum itaque radicibus accisis, innumeris perfunctum Constantium bellorum periculis, summa domi calamitas excepit. Crispus Caesaris dignitate decoratus liberorum illius primo genitus fuit, natus ex prior uxore Minervina, praestantissimus juvenis, sub avia Helena jam inde a tenetis in Christi religione educatus, litteris a Lactantio Firmiano excultus, partaque de Alemannis victoria illustris. Hunc perditissimo amore deperit noverca ejus Fausta Augusta, & ad suprum sollicitavit: sed repulſam a castissimo juvene passa amorem in odium vertit: quo instigata, simulque ejus interitu viam ad Imperium, quam ille major natus pracludebat, filiis propriis munire intendens, non dubitavit Crispum attentati in se adulteri apud patrem accusare; qualia pleraque referunt exempla sacrae profanaeque historiae uxoris Putipharis contra Josephum; Stenoboeae uxoris Praeti contra Belleſophontem; Phaedrae novercae adversus privignum Hippolytum. Constantinus male credulus juvenem innocentissimum in dicta causa clam neci addidit. Sed paulo post, comperita uxoris fraude & calumnia, balneo ardenti conclusam necari iussit. Delirat plane Zosimus gentilis historicus, & Constantino propter ejus Christianissimum perpetuo insensissimus, dum scribit ipsum propter interfectionem Crispi & Faustae diris agitatum, cum nulla esset penes veterem Romanam religionem species expiationis, qua tam detestabilia scelera elui possent: tum demum ad Christianos recurrere, persuasum ab Hispano quodam nullo esse flagitii genus quod per Christiana sacra expiari facile non posset. Quis vero ignoret Christi fidem suscepisse multis annis ante hunc insaufum eventum? Refert Eusebius oculatus horum temporum testis, eum antequam bellum Maxentio inferret, Christianae fidei religioni addidisse, ostensa sibi in caelo fulgente cruce, per quam victor futurus erat. Idque signum caeleste non ipsi soli conspectum, sed universis etiam copiis qua ductorem illum sequebantur; eumque multoties rem, apud eos qui non viderant, asseverasse. Taceo Labarum crucem nomenque Christi referens auro gemmisque coruscans, quod ejus ab initio praebat exercitum. Taceo veteres inscriptiones, & numismata statim ab ipsa de Maxentio victoria procusa, in quibus victor ille cum Labaro representatur, aliaque, quibus id confirmatur, omni exceptione majora monumenta.

8. Profligatis universo Romano orbe tyrannis, Ecclesia sub Christiano & piissimo Principe summa pace & felicitate potita fuisset, nisi discordis intestinis & mutuis odiis discissa per eos ipsos fuisset, qui de nomine Christiano gloriabantur: adeo ut cum Propheta lamentari Ecclesia posset: *Ecce in pace amarinanda mea amarissima.*